DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE GONORRHOEA VIRULENTA.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.S. T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

H. STANISTREET,

Soc. Reg. Med. Edin. S.

Nec non

Soc. Physico-Chirurgicae Edin.

Soc. Hon.

Anglus

Ad diem 12. Septembris, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXVII.

Viris excellentiſſimis,

EDVARDO ALANSON
Chirurgo,

HENRICO PARK
Chirurgo,

J. TARLTON
Armigero,

Et denique

GULIELMO STANISTREET
Patri ſuo chariſſimo,

S. P. D.

HENRICUS STANISTREET.

Cum mecum, viri generoſiſſimi, reputo, quot quantiſque beneficiis, per totum vitae decurſum, me afficere conſueveritis, vobis ſolis hocce opuſculum inaugurale ſumma obſervantia conſecrandum duco. Diu vivatis, et omni felicitate, quam mortalibus ſoleat concedere indulgentia coeleſtis, fruamini. Me veſtrae humanitatis et benevolentiae nunquam immemorem fore promitto. Valete.

CALENDIS SEPTEMBRIS
1787 DABAM.

From the Author

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

GONORRHOEA VIRULENTA.

MORBUS venereus, ſi fides iis, quae auctores enarraverint, ſit habenda, in Europa, ad *annum* 1493 uſque, ex toto fuit ignotus, et a Columbo ſociiſque ejus ab Hiſpaniola, bello Neapolitano ſaeviente, huc adlatus fuiſſe dicitur. Hoc tam certo noverunt Hiſpani, ut quartum Martii diem, quo Europam attigerit, *diem fatalem* poſtea appellaverint, ut e *Praelectionibus Academicis* celebris Hermanni Boerhaavii diſcere licet. A loco Hiſpaniae, ad quem advenerat, in Italiam aliaſque regiones vicinas brevi ſemet diffundit, ut in *Tractatu* ſuo *de morbo Gallico* teſtatur Braſſavolus.

Ex operibus Gabrielis Fallopii, Muſae Braſſavoli, aliorumque, quae circa id tempus in vulgus edita fuerunt,

runt,

runt, evidente apparet, incolas Europae gonorrhoeam, ante annum 1534, penitus ignoraſſe; namque eam pro morbo novo habent auctores modo comprehenſi. Braſſavolus quidem primus eſſe videtur, qui mentionem ejus etiam leviſſimam facit. Eam vitium admodum recens eſſe affirmat, et eodem tempore morbum, per annos quadraginta et amplius, notum fuiſſe memoriae prodit.

Quaecunque hic auctor aſſerit, ea firmat Gabriel Fallopius, qui ſuper hoc argumento eruditiſſime conſcripſit. Hic primus fuit, qui morbum in duo ſtadia diviſit. Affectum recentem feliciter ſanari poſſe, alterum depulſu eſſe difficilem aſſeverat. "Excitavit," inquit, "febrim cum tormentis, et intra 4 dies, niſi "reſiſtatur, totum corpus infectum fuit, et haec om- "nium horrendiſſima ſpecies fuit, erat enim deſumens "et peſſime ulceroſa." Ex hac aliiſque auctorum diverſorum obſervationibus apparet, morbum multum gravitatis amiſiſſe, ex quo in Europam primum fuit invectus. Hinc fiebat, ut celebris Aſtruc et alii, quin morbus tandem radicitus tolleretur, non dubitare viderentur.

Antequam hanc materiem ulterius ingredimur, forſitan non erit alienum notare, nos de gonorrhoea tantum, et paucis affectibus loco propriis, in paginis ſubſequentibus agere decreviſſe, et haudquaquam nobis in animo eſſe aliquid de ſyphilitide proferre. Per vocabulum *gonorrhoeae* morbidam ex urethra vel vagina ex-

cretionem

cretionem tantum, a viro venereo hifce partibus applicato proficifcentem, fignificamus. Nec campum argumentationis longe lateque percurrere volumus, nec aliquid novum et hactenus inauditum de materia profe-rendum habemus; namque paginae fequentes neceffitatis, non voluntatis, proles funt. Has opiniones folas, quas confilio infervire putavimus, citare decrevimus, unde hoc aut illud defumpferimus, fubinde dicere parum effe neceffarium exiftimantes.

DEFINITIO MORBI.

Gonorrhoea modo fequente a Culleno finitur. "Gonorrhoea (impura) in qua poft concubitum im-"purum, humor puriformis cum dyfuria ex urethra "fluit." Propter caufas autem quae neminem poffunt latere, fequentem tradidimus, quae, uti fperamus, morbo, quem fumus executuri, accuratius accommodatur. Gonorrhoea impura, in qua, poft concubitum impurum, humor puriformis cum dyfuria ex urethra in hominibus, et vagina in mulieribus, fluit.

HISTORIA.

HISTORIA.

Gonorrhoea plerumque modo fequente femet primum oftendit. Aeger, fecundo, tertio, quarto, quinto, fextove die, poft coitum impurum, modo citius, modo ferius, fenfum gratum jucundumve, per totum canalem uriniferum, maximamve ejus partem, potiffimum vero circa oftium urethrae, percipere incipit. Sub hoc tempus, motus teftium ofcillatorius adauctus, defiderio veneris inufitato ftipatus, quae vigore, praeter confuetudinem, magno peragi dicitur, aliquando notatur. Cum haec figna accedunt, parum nihilve profufionis fe in confpectum dat; fi pars vero urethrae extrema accurate examinetur, tumor levis, cui nonnihil inflammationis accedit, fere femper videre poteft, et exigua humoris limpidi, preffura adhibita, quantitas effunditur. Prout morbus progreditur, fenfus, fupra pofitus, magis magifve acutus evadit, et in aliquantum temporis gradatim increfcens nonnihil doloris movere incipit. Brevi dolores lancinantes, et femet per urethram diffundentes, oriuntur, et levis ardor, inter urinam reddendam, accedit, qui, dum urina excernitur, vix notatur. Protinus vero, excretione finita, per aliquam canalis uriniferi partem, praefertim ubi in glandem definit, ingens ardor fentitur,

ſentitur, qui aquae bullientis ſenſum accurate referre dicitur.

Spatio temporis minime longo elapſo, humor magis minuſve albidus ab extrema urethra profundi notatur, qui maculas in lineis induſiis relinquit, quarum margines multo magis, quam centrum, colore ſunt fuſci, et quotidie, immo forſitan ſingulis horis, quantitate augetur. Oſtium urethrae dilatatur, et orarum ejuſdem fere ſemper incidit tumor. Quidam auctores hanc oſtii urethrae inflammationem, hoc in morbo, conſtanter ſubeſſe putarunt *; ſed multi caſus a diverſis medicis enarrati eam non ſemper adeſſe demonſtrant. Signa inflammationis et ardor, inter urinam excernendam, increſcunt, glans penis tumeſcit et inflammatur, colorem ſubrubrum pellucidumque habens, cuticula parti ejus extremae ſaepe abraſa. Quod excernitur, id ſingulis diebus quantitate augetur, et calore et ſpiſſitudine mutatur, modo flavum, modo viride, modo ſanguine tinctum, partes vicinas cuticula non raro privans. Cum hae mutationes incidunt, ardor excretionem urinae comitans plerumque admodum intenſus. Aeger quoque vexatur tentigine plurimum doloris faciente, et ſenſu ſtricturae partis urethrae inferioris, vel ſecundum ejuſdem decurſum.

Morbus jam acmen attigit, et omnia ſigna ingraveſcunt; tempus vero, quo hoc incidit, variat, a certis re- bus

* Cullen's Firſt Lines, vol. IV. p. 386.

bus circumftantibus pendens. Ardor urinae propemodum intolerandus eft, adeo ut eam reddere aeger reformidet, licet defiderio veficam evacuandi, ob fenfum circa cervicem hujus moleftum, fere conftante teneatur. Urina cum multa difficultate aliquando excernitur, et pauculae tantum uno tempore guttae, et tentigines fine voluntate tam frequentes tamque moleftae funt, ut aegrotus miferandus vix ullo fomno reficiatur. Inflammationem oftii urethrae crefcere teftantur durities, tumor, et inflammatio adaucta, quorum poftrema per totam urethram maximamve ejus partem nunc femet diffundere notatur. Excretio, inflammatione concitatiffima, quantitate modica effe, et, eadem fubfidente, increfcere fuit reperta.

Perinaeum per confenfum non raro afficitur, tumefcit, inflammatur, et fuppurat. Urina quoque rivo praeter confuetudinem parvo, propter membranam urethrae internam inflammatam, profunditur, et humor excretus quantitate largus eft, colore et fpiffitudine malus. Tumor praeputii interdum incidit, et, ne retrahatur, cavet, *phymofin* conftituens; vel praeputium pone glandem retractum nequit reduci, *paraphymofin*, uti vocatur, faciens. Alias inflammatio tefticulum petit, unde tumor ejus dolorque, cum febre fymptomatica, oriuntur. Non raro idem affectus cum glandulis inguinum communicatur, quae inflammantur et tumefcunt, quamvis nulla exulceratio fubeft. Rebus ita fe habentibus, raro fuppurant. Vafa lymphatica, a glande

penis

penis extrema ad glandulas inguinum afcendentia, in quas definere videntur, oculis interdum plane confpici poffunt. Alias inflammatio fecundum urethram ad veficam uriniferam ufque femet extendit. Hoc accidiffe teftantur dolor in regione hypogaftrica oriens, vefica ipfa admodum fenfilis, et folitae diftenfionis empatiens evadens, unde aeger defiderio urinae reddendae frequenti infeftatur, quae poft intervalla impetu quodam, et cum acuto dolore, evacuatur. Hic autem a contractione et fenfibilitate adaucta tunicae veficae mufcularis proficifcitur, et in aliquantum temporis manet. Eum, qui in paroxyfmo nephritidis calculofae fentitur, accurate reddere dicitur. Quinetiam ureteres una cum vefica nonnunquam afficiuntur, et inflammatio ad renes ipfos afcendit.

Hoc modo figna in 8, 10, 12 vel quatuordecim dies, in fpatium brevius longiufve pro diverfitate rerum, pergere folent, et deinde inflammatio minui, tentigines minus frequentes effe, et dolor perinaei ceffare incipit. Humor, qui excernitur, quantitate decrefcit; magis albidus, tenax, et fpiffitudine firmior fit, et tandem, poftquam quantitate gradatim diminutus fuit, profluere omnino definit.

Morbus aliquando naturam multo mitiorem habet. Namque figna inflammationis magis modica funt, excretio quantitate minor, tentigines rariores, et nullae denique notae, fi profufionem levem una cum ali-

quanto

quanto ardoris inter urinam evacuandum excipias, ſubſunt.

In omnibus aegrotis morbus non ita mitis eſt, nec aeque feliciter finitur. Partes laborantes aliquando magnopere debilitate relinquuntur, et, hanc ob cauſam, muci profuſio incidit, quae in longum tempus non raro manet. Haec, viro extincto, Anglice *gleet* appellatur. Alii aegrotantium epidydimis auctu; alii pure in ſubſtantia penis, ut e conſpectu apparere videtur, formato; fiſtulis perinaei, tumoribus urethrae verrucoſis, bubonibus, excretionibus ſeminis involuntariis ſine tentigine, &c. vexantur. Quantum ad pus quidem in ſubſtantia penis formatum attinet, ſignum hujuſmodi haud dubie raro ſemet oſtendit; namque nullus hoc genus caſus ab ullo auctorum, quos ſuper hoc argumento conſuluerim, memoriae proditur. Exemplum vero hujuſmodi videndi occaſio nuper mihimet ſubminiſtrata eſt. Tumor in corpore penis cavernoſo, quantum oculis potui judicare, ſemidigitum aut circiter ſupra glandem ortus eſt. Pauculis diebus fluctuatio manifeſta percepta eſt, et tumor acuminatus evaſit, et ſponte ruptus eſt. Unciam puris dimidiam continere videbatur. Ob ulcuſculum, a tumore ipſo non longe diſſitum, mercurium in aliquantum temporis modice ſumpſit vir generoſus. Et tumor et ulcuſculum, ſine ulla difficultate aut incommodo, ad ſanitatem reducta ſunt. Silentio non praetereundum eſt, abſceſſum cum modico dolore fuiſſe formatum, et a viro venereo non

proficiſci

proficifci videri. In primis probabile eft, ab humore, qui vulgo foleat exhalare, in corpus penis cavernofum effufo ortum fuiffe, quoniam aegrotus, eo tempore, tentigine violenta plurimum fuit tentatus.

Haec figna non femper eodem ordine, quo ea memoraverim, femet oftendunt, nec omnia in eodem homine, per decurfum ejufdem morbi, fubfunt. Multas alias gonorrhoeae fequelas referre non foret difficile; fed hae, quarum mentio jam facta eft, forfitan praecipuae funt.

DE MODO, QUO CONTAGIO CORPORI APPLICETUR, ET DE CAUSA MORBI.

Quo tempore morbus venereus femet in hac regione primum oftendit, eo omnes infecti domo amandati funt, et ad loca infortunatis, qui impliciti funt morbo deftinata, relegati. Morbus pro pefte atrociffima mortalibus divinitus illata, et pro vitio, quod medicina depellere nequiverit, fuit habitus. Plurima incredibilia fuper eo et narrata, et, credita, in reliquis, morbum vim nocivam eodem modo, ac alias contagiones, edere, per aëra ad magnam diftantiam devehi poffe, antequam fuos effectus monftravit, et contactu fimplice vulgari.

 Hoc

Hoc tantum incolis Lutetiae terrorem injecit, ne virgines Deo et pietati ſacratae inficerentur, ut licentiam eas ab oppido removendi a Papa Romana petiverint et impetraverint. Fama gerebat, contagium per aërem in compluria coenobia, ſuper muros, invectum fuiſſe; ſed multo magis probabile eſſe videtur, idem per fores fuiſſe ingreſſum.

Aliae opiniones non paucae quoque invaluerunt, quarum multae adeo ridiculae ſunt, ut, quae memorentur, indignae ſint. Unius, exempli gratia, mentionem faciemus. Exiſtimatum fuit, morbum a vi ſtellarum et poteſtate, dum ad ſe invicem propius accedebant, oriri. Hoc, qualis et quanta ſeculorum antecedentium ſuperſtitio fuerit, plane evidenterque oſtendit; namque ſi res ita ſeſe revera haberet; morbus lunae ſoliſque conjunctionem ſemper ſubſequeretur.

Morbum modo, quo aliae contagiones propagantur, non poſſe vulgari neminem hodie latet. Quo morbus excitetur, ut materia mucuſve, vel aliquid, quocunque nomine vocetur, ab ulcere venereo, vel aliqua ſuperficie per virus venereum corrupta, vel inflammatione venerea laborante, proficiſcens, corpori applicetur omnino neceſſe eſt. Quinetiam materiam forma liquida, eave, quae per actionem partis ipſius liquida reddetur, et partibus certis, ut urethrae, vaginae, tunicae conjunctivae, membranae narium, oris, &c. internae, vel partibus ſingularem affectum habentibus, ut cuticulae eraſae, vulneribus, vel partibus, ubi, ut in ulceribus, jactura

jactura substantiae facta est, vel forsitan partibus inflammatis, admoveri oportet. E modo comprehensis manifeste constat, morbum in ea parte, cui virus fuerat applicatum, fere semper semet esse ostensurum. Contagionem solam ad morbum alicui impertiendum haudquaquam sufficere sequentia in medium prolata clare demonstrabunt. Multa exempla non desunt, ubi e duobus alter morbo venereo laborat, alter eodem vacat, ubi, in longum temporis spatium, una degunt et dormiunt, infecto nihil injuriae sano inferente. Insuper virus venereum cuticulae chirurgorum, inter bubones incidendos, &c. saepe affricatur; qui tamen morbum non contrahunt. Denique ii, ut nullum medicum chirurgumve fugit, quibus totum corpus, nullo vitio loco proprio substante, infectum est, neminem morbo impertiri valent.

Causam hujusce morbi excitantem esse virus venereum superficiei urethrae internae applicatum evidens et manifestum est. De modo vero, quo illuc devehitur, adeo ut morbum moveat, a medicis diversis acriter fuit disputatum. Quidam posuerunt, vesiculas seminales et glandulam prostatam esse morbi sedem, et contenderunt, virus vel in urethram sub forma subtilis exhalationis introductum esse, vel a superficie penis per vasa lymphatica absorptum, et ad vesiculas seminales tandem adductum. Alii asseruerunt, a vasis lymphaticis superficiem glandis penis tenentibus absorptum esse, et per ea ad urethram, ubi depositum est, recta devectum. Prior,

or, hoc tempore ſaltem, incredibilis, et poſterior unicuique, qui minimam etiam ſyſtematis lymphatici notitiam habet, ridicula videatur neceſſe eſt. Namque lymphatica tantum abſunt, ut a glande ad urethram deorſum ad perpendiculum deſcendant, ut, contra, curſum longe diverſum teneant. Rem ita ſe habere, ut demonſtratione et praeparatis anatomicis oſtendit Monroius. Contrarium quidem in ulcuſculis prope glandem extremam ſitis aliquando notare licet; namque, in hoc exemplo vaſa lymphatica inflammata et tumefacta, ſecundum dorſum penis ad glandulas inguinales ubi finire videntur, recta procurrentia, digitis nonnunquam explorare poſſumus. Praeterea, ſi haec ratio foret, qua virus ad urethram deveheretur, ulcuſculis ſubſtantibus, gonorrhoea quoque, eodem tempore, conſtanter oriretur. Rem vero non ita ſe habere reperimus, niſi idem materiae genus urethrae fuit admotum.

Quae opinio, judicio noſtro, maxime probabilis eſſe videtur, ea eſt profeſſoris eruditi Monroii propria. Ille vir clariſſimus in ſuis praelectionibus notat, aliquantum viri, oſtio urethrae, tempore coitus, magis, quam in ſtatu naturali, ob tentiginem, dilatato et adaucto, muco, qui circa oſtium ejus manet, implicari, quod labia, tentigine ſubſidente, ad ſitum priorem redeuntia retrorſum ulteriuſque in urethram impellunt; vel urethram attractione capillari virus abſorbere, pene diſtenſo

tenſo et tumefacto, et idem in urethram longius devehere, tentigine ceſſante.

DE SEDE MORBI.

Antequam ſedem morbi depingere aggredimur, non erit alienum forſitan notare, ſuperficiem urethrae internam aeque, ac omnia alia corporis humani cava, humore tenui et mucilaginoſo, qui mucus nominatur, conſtanter humectari. Hic e compluribus aperturis ſuperficiei internae exiguis, quae *lacunae*, et ex aliis corporibus evidenter glandularibus, quae glandulae Cowperianae appellantur, effunditur. Conſilio urethram ab acrimonia urinae defendendi inſervire videtur. Aliquam mutationem, ſanitate ſubſtante, nunquam non ſubit, abſorptione ejuſdem et effuſione conſtanter pergente. Hanc ob cauſam, nihil incommodi oritur, parte ſuperflua vel abſorpta, vel per urinam abluta.

Auctores olim, quamquam veram partium ſtructuram non ignorarunt, notiones de ſede morbi admodum falſas habuerunt. Alii, ut nomen morbi inditum videtur indicare, poſſuerunt, veſiculas ſeminales eſſe morbi ſedem, et profuſionem eſſe ſemen. Alii opinati fuerunt glan-

glandulam proſtatam laborare, et excretionem inde proficiſci. Alii, quod rationi magis convenire videbatur, exiſtimaverunt, profluvium ab ulceribus oriri, et haec in urethra ſedere.

Haſce partes fuiſſe affectas, haudquaquam inficiabimur. Namque cadavera eorum, qui hoc morbo fuerunt extincti, inciſa manifeſte demonſtrant, alias partes, aliis temporibus, et omnes interdum una laboraſſe. Monroius celeberrimus praeparatum oſtendit, in quo veſica urinifera fuit affecta, et ubi notae exulcerationis evidentes in ſuperficie ejus interna apparent. Ex hiſtoria morbi et obſervationibus auctorum accuratis ſatis conſtat, urethram extremam partemve internam ab oſtio ejus non longe diſtantem ſemper primum affici ſolere. Si vero glandula proſtata veſiculaeve ſeminales laborare incipiunt, hoc a nimia, quae inciderit, inflammatione oriatur neceſſe eſt. Ulcera urethrae non morbi eſſe cauſam, poſtea, uti ſperamus, demonſtrare valebimus.

Natura viri nondum detecta eſt, nec unquam fortaſſe detegetur, quanquam naturae ejus et dotibus lumen affundere ſummi viri conati ſunt. Quantum adhoc attinet, multa alia e contagiis refert, ſed ab iis hoc evidentiſſime differt, quod nunquam morbum, niſi contactu, movet. Ab aliis naturae ſubſtantiarum alkalinarum, ab aliis dotis acidae particeps eſſe, et ab aliis poteſtate admodum ſtimulante praeditum eſſe dicitur. Opinio autem poſtrema maxime probabilis eſſe videtur.

tur. Cum nihil ſuper hoc argumento ab aliquo in medium fuerit prolatum, quod id illuſtrare nodoſque tollere poſſit, nos, ſi animum ad id conſiderandum adjungerimus, plus, quam alii potuerint, eſſe praeſtituros minime poteſt ſperari. Res cum ita ſeſe habeat, nihil laboris nobiſmet ſuſcipientes, et huic diſſertationis parti non diutius immorati, id ejus, quod ſupereſt, abſolvere pergemus.

CAUSA PROXIMA.

Hanc autem eandem eſſe, ac eam, unde inflammatio in genere pendeat, actionem nempe vaſorum urethrae adauctam, haud dubitanter concludimus. Virus venereum irritatione ſibi propria, vel actione, uti nonnulli loqui amant, ſpecifica, inflammationem ejuſque ſequelas in membranam mucoſam, potiſſimum ſecretionem muci ſolito copioſiorem, edit. Hanc actionem autem non a viro venereo, quatenus merum virus eſt, proficiſci compertum habemus; quoniam omnia, quae magnopere ſtimulant, qualia ſunt ſpiritus cornu cervini, aether, et multa alia generis ſimilis, idem quod virus, praeſtant, eandem excretionis ſpeciem, et eaſdam notas moventia. Ab eo denique hoc tantum differunt, quod

morbum

morbum ipſum venereum genuinum et verum ciere nequeunt. Inſtrumenta ſubſtantiaeve, quae Anglice *Bougies* appellantur, ſtricturas tollendi adhibitae, omnia hujuſce morbi ſigna, viz. ardorem urinae, tentiginem, profuſionem muci, tumorem teſticulorum, bubonem, &c. fecerunt. Immo quaedam ſtimulantia, interne ſumpta, mala ſimilia progenerarunt. Nonnulli ſyſtematis univerſi morbi quoque in cauſa fuerunt, cur humor mucoſus ex urethra fuerit profuſus.

Urethram ab acrimonia urinae per mucum tenuem, qui in ſuperficiem ejus internam e vaſis glanduliſve ei officio deſtinatis effunditur, defendi ſupra comprehendimus. Inter pleroſque autem hodiernos auctores convenit, profuſionem nihil aliud eſſe, quam ſecretionem hujuſce muci, aliquanto forſitan viri venerei admiſtam, vel, ut alia verba adhibeamus, mucum vitiatum et corruptum.

Pauculi anni tantum ſunt elapſi, ex quo opinio ubique fere invaluit, humorem profuſum eſſe ~~virus~~, et ab ulceribus in urethra ſitis proficiſci. Rem quidem interdum ita ſe habere non negabimus, quod, cadaveribus inciſis, fuerunt reperta; ulcera vero rariſſime ſubeſſe compertum habemus. Contrarium magna ex parte certum plurima reddunt, quorum praecipua ſubſequuntur. Primum in cadaveribus hominum hoc morbo extinctorum incidentis pauciſſima exulcerationis exempla detegi potuerunt, quanquam curioſe diligenterque fuerunt quaeſita. Secundo, humor in foeminis

ex

ex ea vaginae parte, quae oculis confpici poteft, plerumque profunditur. Nullum támen ulcus, partibus accurate examinatis, fed ftatus tantum membranae internae inflammatus, femet in confpectum dedit. Tertio, ,ei tefticuli inflammatione corripiuntur, magis fubito ceffat profufio, quam accidiffet, fi ab ulceribus fuiffet profecta. Humorem, qui foleat effundi, ab ulceribus non provenire non parum obfcure monftrare videtur profufio, tumore fubfidente, fubito reftituta. Quarto, ulcera urethrae, quae femper exiguae fint oportet, id copiofum fubitumque profluvium, quod in hoc morbo incidere folet, fuppeditare non poffent. Quinto, cum fluxus gonorrhoeae proprium magnopere referens fubftantias ftimulantes fuperficiei canalis uriniferi internae applicatas fpatio temporis breviffimo excipiat, evidenter, et, judicio noftro, haud dubie, nihil exulcerationis fubeffe demonftrat. Namque, fi res hujufcemodi tantum inflammationis gradum, quantus tonum partibus, quibus admoverentur, protinus deleret, momento progenerare valerent; eam tamen vaforum actionem, quam ad formationem puris omnino neceffarium effe ponimus, nifi fpatio paucorum dierum elapfo, facere non poffent. Quin res ita fe habeat, minime dubitamus, fi animumad vulnera, quae in operationibus chirurgicis, &c. inferantur oportet, confideranda adjungemus. Sexto, urethra hominum, qui hoc morbo laborantes fato conceflerunt, diligenter examinata, inflammata reperta eft, et pars, unde fecretio proceffit, muco obtecta fuit, et

hoc amoto, vaſa pellucida numeroſiſſima, et alia ſanguine diſtenſa, in ſuperficie una, ſed ne minimam quidem exulcerationis notam, oſtendit. Septimo, profluvium huic conſimile in fluore albo, quanquam nullum ulcus adeſſe ſuſpicamur, reperimus. His, ut teſtimonia opinionem noſtram firmantia, catarrhum, cyſtirrhoeam, ſtillicidium vulgare, &c. adjicere poſſumus; haec vero, cum ſupra poſita conſilio noſtro ſufficiant, ſilentio praetereunda ducimus.

Cum ſatis clare, uti ſperamus, demonſtraverimus, profuſionem non ab ulceribus, ſed ab inflammatione, oriri, e muco conflari, et a vaſis iiſdem, quae mucum, ſanitate ſubſtante, ſecernunt, provenire; quam breviſſime, utrum materia gonorrhoeam luemque excitans eadem vel diverſa ſit, conſiderare pergemus. Quae ſupra tradimus, ea forſitan longiora et ſuperflua eſſe exiſtimabuntur. Cum vero exulceratio praeſens abſenſve in cauſa ſit, cur in diverſam medendi viam debeat procedi, hanc diſſertationis partem in majorem longitudinem producendam putavimus.

Intra paucos annos fuit diſputatum, utrum materia necne, quae gonorrhoeam et luem excitet, eadem vel diverſa ſit. Utriuſque ſententiae fautores tam enixe contendunt, ut, primo intuitu, vix poſſimus ſtatuere, utrum in hanc vel illam debeamus concedere. Sequentia quidem, ſi ſenſa animi ſuper re tam difficili nobis liceat proferre, utrumque morbum ab uno eodemque materiae genere profluere monſtrare videntur. Pri-

mum

tnum muliercula, ſed ſexus nil refert, gonorrhoea laborans viros utroque morbo, unum ulcuſculis, alterum gonorrhoea, inficere poteſt. Secundo, gonorrhoea conflictanti, ob munditiam neglectui habitam, ulcuſcula oriri, et luem confirmatam movere poſſunt. Tertio, in eo, qui gonorrhoea laborat, ſigna luis, vel per viam medendi parum idoneam, vel per vulnera urethrae fortuito inflicta, excitari valent. Exempla hoc genus memoriae fuerunt prodita, ubi gonorrhoea, vulnere per ſyphonem urethrae illato, in luem inveteratam vertit. In ſumma, quemlibet, ſi humor, in gonorrhoea profuſus, ulli ſuperficiei, cui cuticula ſit abraſa, partive exulceratae applicetur, ibique retineatur, lue venerea corripi poſſe, quod ſaepe incidere credimus, probabile eſſe putamus. Quod diſcrimen inter duos morbos intercedit, id, judicio noſtro, in natura partis, cui virus admoveatur, ſola conſiſtit. Nonne luem interdum excitari videmus, ubi hirudines, propter gravitatem inflammationis, applicatae fuerunt, et humor gonorrhoeae proprius ad vulnus accedere permiſſus? Hoc modo ulcuſcula, niſi admodum fallimur, progenerari vidimus, et nemo, cui mens ſana ſit, negare audebit, haec, neglectui habita, luem aegrotanti conſtanter eſſe illatura.

Quo nihil dubitationis de hac re ſuperſit, experimenti a nupero auctore relati mentionem facimus. Memoriae prodit, quemdam e ſuis amicis glandem penis incidiſſe, et aliquantum humoris in gonorrhoea pro-

ſuſi

fufi ei admoviffe, et ulcufculum brevi progeneratum effe; et, experimento ex toto mutato, materiam luis in urethram introductam gonorrhoeam feciffe. Si fiduciam in hac enarratione collocare poffumus, et nihil eft, quantum noverimus, quod, quo minus ita faciamus, obftare debet, non amplius ambigere valebimus, quin idem virus utrumque morbum moveat, et folum inter eos difcrimen, ut fupra pofuimus, a parte, cui virus applicetur, pendeat.

Materia gonorrhoeae vel luis, fuperficiei exulceratae applicata, morbum venereum raro progignit. Caufa hujus effe videtur virus a fuperficie, cui fuerat admotum, ante ablutum, quam agere potuit. Cum urethrae applicatur, res aliter fefe habet; namque ibi, donec inflammationem faciat, retinetur. Hoc tempore forfitan, non fine caufa gravi, eam poteftatem humoris generandi, qui eofdem effectus, quos virum ipfum, edet, poffidere, dicere licet. Si non rem ita fefe habere ponamus, multa e phaenomenis, quae in hoc morbo femet oftendunt, non valebimus explicare.

DIAG-

DIAGNOSIS.

Morbi ſoli praecipuive ſaltem, quibuſcum gonorrhoea confundi periclitatur, ſunt *ulcera renum*, *cyſtirrhalgia*, *fluor albus*, et *ſtillicidium*.

Ulcera renum.—Profuſionem ex ulceribus hujuſmodi fere ſemper praecedunt dolor regionis lumborum et pondus, quibus ſigna febrilia accedunt. Pyrexia vero in gonorrhoea raro apparet, donec inflammatio urethrae evidens orta eſt. Quod ex ulceribus ~~hoc genus~~ profluit, id raro notatur, niſi dum ſphincter veſicae, inter urinam reddendam, &c. relaxatur. Quod vero gonorrhoeam ab his certiſſime diſtinguit, eſt urethrae conditio. Namque, ſi oſtium ejus inflammari et dilatari reperiamus, morbum venereum eſſe, ſine ulla dubitatione, affirmare licet, praeſertim ſi ardor urinae, dum veſica depletur, prope partem ejus extremam ſentitur, et profuſio ſupra depicta ſemet oſtendit.

Cyſtirrhalgia.—Ab hac gonorrhoea ſequentibus ſecernitur, dolore, hoc in morbo, circa partem abdominis inferiorem et in regione veſicae percepto, ſpecie quam profluvium prae ſeſe fert, et modo quo humor evacuatur; namque profuſio in cyſtirrhalgia, niſi una cum urina, dum redditur, raro apparet. Quod in hac et malo

malo priore effunditur, id plus foetoris, quam humor gonorrhoeae proprius, quod diutius in vefica retinetur, habere dicitur. Parum fiduciae vero in hoc, judicio noftro, debet collocari.

Fluor albus.—Cum hunc morbum et gonorrhoeam a fe invicem clare manifefteque diftinguere in primis difficile fit, diagnofin, non fine fumma diffidentia, aggredimur. Quantitas materiae, quae in fluore albo profunditur, fpatio temporis dato, plerumque major eft, quam quae in gonorrhoea evacuatur. Sub initium gonorrhoeae conftanter fere fubfunt, inflammatio, calor, dolor, et febris fymptomatica; quae omnia in fluore albo deeffe confuerunt, nifi cum aliquamdiu manfit et inveteravit. In priore exemplo, calor dolorque, una cum aliis fignis fupra comprehenfis, circa lacunas clitoridis federe, eafque potiffimum infeftare videntur. Excretio in fluore albo, in longum temporis fpatium, poftquam morbus primum acceffit, gradatim incrcfcit; gonorrhoeae vero propria, quantum ad quantitatem attinet, diu propemodum omnino eadem manet. Si e lacunis vaginae examinandis, eas humorem purulentum effundere difcamus, non fine caufa morbum, cum profluvium in fluore albo a vafis uterinis plerumque proveniat, venereum effe concludemus. Huic figno diagnoftico tamen non omnino confidere oportet, quoniam profufio in fluore albo a vagina nonnunquam poteft oriri. In leucorrhoea oftium uteri plerumque molle et humidum

eft,

eſt, in gonorrhoea plerumque durum ſiccumque. Diſcrimen ſilentio minime praetereundum eſt, quod pro certo et nunquam fallaci quidam habent, profluvium nempe leucorrhoeae proprium, dum menſtrua proveniunt, ceſſare, dum gonorrhoeae proprium, non interpellatum, pergit. Si hoc verum eſſe ponamus, nonne in primis erit difficile humorem in gonorrhoea profuſum, ſanguini menſtruo revera admiſtum, detegere? Immo, an ullis artibus detegi poteſt? Hoc igitur, in pleriſque caſibus, parum nihilve ponderis habere debet. Aliud diſcrimen inter duos morbos memorandum ſupereſt, diverſa nempe ſpecies, quam duo profluvia prae ſeſe ferunt, qua duos morbos a ſe invicem certiſſime poſſe ſecerni, nonnulli auctores exiſtimant. Profluvium etenim venereum, ut ſupra fuit poſitum, cum ſtragula vel induſia linea tingit, in centro maculae punctum reliqua obſcurius et circumſcriptum relinquit, quod in profluvio fluoris albi, cum ſtragulas, &c. tingit, non notari dicitur.

His omnibus adjicere poſſumus, ipſam aegrotantis faciem et modum, quo ſigna accedunt, ad morbos diſtinguendos plerumque non parum eſſe collatura. Quae mulieres enim leucorrhoea conflictantur, eae habitum corporeum debilem tenerumque habent; dolores dorſi, lumborum, regionis uteri, &c. queruntur, et ſpeciem morbidam prae ſeſe ferunt. Gonorrhoea, contra, laborantes faciem rubicundam frequenter habent, et alioquin ſanae ſunt.

Haec

Haec omnia conjuncta in plerisque morbi exemplis distinguendis nos forsitan non parum juvabunt.

Stillicidium.—Hoc a gonorrhoea secernere saepe difficillimum. Stillicidium plerumque movet aliqua causa fortuita, ut nisus violentiores, excercitatio acrior, stimulantia interne sumpta, &c. In casibus hujusmodi paucis horis plerumque semet ostendit, et cum res ita se habet, de natura morbi non ambigi potest. Caeterum stillicidia, sine ulla evidente causa excitante, interdum accedunt, et ab initio usque dolore, urinam excernendi difficultate, &c. stipatur. In exemplo hujusmodi accurate quaerendum est, utrum morbum necne ullae e causis, quae stillicidium progenerare soleant, praecesserint; qua quantitate, sub initium, humor fuerit profusus, et quo sensu aegrotum affecerit. Stillicidium vulgare ab excretione copiosa, gonorrhoea ab ea, quae gradatim increscit, incipere consuevit. Profusio quoque in stillicidio communi aliquando diminuitur, et repente iterum redit. Insuper conditio urethrae inflammata nobis, in veritate comperienda, non parum feret auxilii.

EVENTUS

EVENTUS MORBI.

Cum hic morbus raro, ſi unquam, aegrotum occidat, prognoſis ſpatium morbi ſpectet oportet. Si lenis ſit, et in viam medendi idoneam procedatur, diebus quatuordecim, ſedecim, octodecemve, citius ſeriuſve, pro rebus diverſis morbum comitantibus, plerumque depelli poteſt. Si vero non rite curetur, aut ſigna inflammationis graviter urgeant, ſpatium multo longius in eo ſanando conſumatur oportet. Profuſio nonnunquam in annos manet, poſtquam natura ejus viroſa ſublata eſt; ſed, rebus ita ſe habentibus, nomen ſtillicidii virulenti ſibi adipiſcitur.

QUORUNDAM E SIGNIS EXPLICATIO.

Ardor urinae ab irritatione urethrae applicata, quae inflammationem excitavit, proficiſcitur. Hinc partes laborantes praeter conſuetudinem ſenſiles evadunt, et acrimonia urinae potiſſimum laeduntur. *Profuſio* per eadem principia fere exponi poteſt; namque irritatio

curſum ſanguinis inſolitum ad partem affectam, una cum actione vaſorum adaucta, facit, unde ſecretio muci copioſior oritur. *Tentigines dolorificae* conditioni ſubſtantiae reticulatae, quae cellulas corporum ſpongioſorum inter ſeſe conjungit, inflammatae, non ſine cauſa graviſſima, tribui poſſunt. Haec autem diſtenſioni, propter inflammationem, objecta dolorem movet, et humoribus aegre cedit. Hinc penis diſtenſus dolet. Uno latere tantum inflammatione affecto, curvus fit. Huic inflammationi plerumque adjungitur humor ſeroſus in ſubſtantiam penis effuſus. Alias tentigo pro effectu ſpaſmodico evidenter habenda eſt. *Glandulae inguinum*, propter inflammationem per vaſa lymphatica in decurſu ſuo naturali ſurſum aſcendentia huc uſque extenſam, dolore infeſtantur. *Inflammatio tumorve teſticuli* eodem modo, nempe inflammationem cum ductibus ſeminiferis communicatam eſſe ponendo, exponi poteſt. Proximum eſt, ut ad curationem morbi deſcribendam progrediamur. Antequam vero hoc ſuſcipimus, plane manifeſteque profiteri decrevimus, nobis firmiter eſſe perſuaſum, uſu mercurii in omni gonorrhoeae ſtadio ex toto abſtineri debere, ubi nullam exulcerationem aut abſorptionem incidere potuiſſe compertum habemus, et non ſolum parum neceſſarium eſſe, ſed etiam noxae fore.

CURATIO.

Quo curationem hujuſce morbi ordine idoneo exequamur, ſequentia medendi conſilia proponemus.

1. Urethram ab irritatione, virus abluendo, defendere.

2. Signa inflammationis levare.

3. Ne virus venereum abſorbeatur, cavere.

4. Partibus genitalibus conditionem priorem reſtituere.

Gonorrhoeam, ſine ullis medicamentis, ſponte deceſſuram eſſe, idque frequenter, experientia docet. Caeterum via medendi, quae ſubſequitur, ad morbum cito tutoque depellendum optime accommodari videtur.

Primo conſilio reſpondent, uſus liquorum mitium et blandorum, in urethram immittendorum, frequens, quales ſunt infuſa ſeminum lini, gummi Arabicum ſolutum, oleum, &c. liquores blandi tepidique liberaliter epoti, et omnia irritamenta et ſtimulantia diligenter vitata.

Secundo conveniunt, detractiones ſanguinis univerſae locoque propriae, prout ſigna depoſtulant; regimen antiphlogiſticum, laxantia, enemata emollientia, nimia

potio

potio nimiusque cibus vitata, frigida applicata, quies in positura horizontali, fasciae idoneae ad partes sustinendas accommodatae.

Tertio rite consuletur, si ratio duorum primorum diligenter habeatur, et si, exulceratione orta, partem lapide infernali, vel aliquo alio medicamento escharotico, protinus tangamus, et eam postea, ut vulnus simplex, curemus.

Quarto accommodantur, usus applicatorum et injectorum adstringentium et tonicorum idoneus, remedia idem genus interne sumpta, dieta generosa et nutriens, vinum modice adhibitum, coitus omnesque notiones desiderium ejusdem provocantes, diligenter vitata.

In paginis sequentibus de usu et actione remediorum et applicatorum diversorum, quae supra in hunc morbum posse memoraverimus, fusius differere, et pauculas de ulcusculis, et quibusdam aliis vitiis loco propriis, annotationes subjicere nobiscum decrevimus. Attentionem autem nostram sibi vindicant

Diluentia.—Multa decocta diversa variaeque substantiae mucillaginosae solutae a diversis scriptoribus, ut optima, quae hoc in morbo possunt adhiberi, fuerunt laudatae. Si vero Culleno aliisque fides sit habenda, omnia diluentia, cum substantia eorum mucilaginosa, antequam per renes transit, sit mutata, easdem fere virtutes efficaciamque possident. Hinc constare videretur, aquam tepidam aeque omni consilio, ac quemlibet alium humorem, esse responsuram. Rem autem ita sese habere

bere poſſe non ex toto inficiabimur; ſed exempla tamen noſmet vidiſſe, et etiam audiſſe, et legiſſe, pro certo ſcimus, ubi ſubſtantiae mucilaginoſae ſolutae vel decoctae cum fructu evidentiore, quam humores, qui nihil materiae hujuſcemodi continerent, fuerunt datae. Fluida ſemper liberaliter ſunt adhibenda, cum excretio copioſa eſt et magna inflammatione ſtipatur; quoniam, urinam minus acrem reddendo, dolorem, qui inter eandem excernendam ſentiri conſueverit, imminuunt. Quomodo magnum commodum, quod a quantitate bona, parte congii forſitan octava, cereviſiae fortioris, ante urinam reddendam, epota dicatur oriri, explicare valemus?

Laxantia.—Cum omnia medicamenta cathartica dotibus ſtimulantibus agant, inflammationem in hoc morbo augeant oportet, potiſſimum quum arctiſſimus rectum inter et urethram nexus ſit. Hanc ob cauſam, dolorem, inflammationem, et copioſiorem profuſionem faciant, et, ſi frequentius ad ea decurratur, non tantum aegrotanti vires, ſine ulla juſta neceſſitate, convellant, ſed etiam, tantam relaxationem partibus laborantibus inferendo, ſtillicidio fundamenta jaciant neceſſe eſt. Licet haec incommoda uſum eorum comitentur, medici non pauci rationem medendi adhibent, cujus pars praecipua in doſibus purgantium draſticorum amplis, quoque ſecundo, tertio, quartove die, dandis conſiſtit. Et, cum gonorrhoea ſponte ſua, nullis medicamentis datis, ſaepe decedat, haec via medendi laudibus ſummis effer-

tur,

tur, et mala etiam, quae movet, aliis causis tribuuntur. Cum purgantia vehementiora fuerunt data, irritatione sua majorem inflammationem, et igitur tumorem testiculorum et glandulae prostatae, suppressionem urinae, abscessus urethrae et ulcera, et non raro stillicidium, &c. fecerunt. Ob hasce causas, haec ratio medendi a multis medicis non immerito fuit derelicta.

Si opus est, ut alvus solvatur, hoc optime praestant laxantia leniora, qualia sunt oleum ricini, manna, et similia, quae igitur omnibus aliis sunt anteponenda. Sales medii hoc in morbo incommodis stipantur, quod ardorem urinae adaugent, quod naturam ejus magis salinam reddendo faciunt. An purgantia absorptionem promovent? Si hoc praestant, ob hanc causam quoque minime hoc in morbo conveniunt.

Diuretica.—Haec, ut remedium in auxilium hujus morbi promptissimum, laudibus maximis fuerunt sublata, et alii, ut ad alia confugeretur, suaserunt, dum quisque proprium omnibus alienis longe potentius esse credidit. Quoniam vero in renes potissimum agunt diuretica, et dotes urinae salinas magis acres efficiunt, diluentia, quae effectus diversos edunt, vicem eorum optime praestitura esse ponimus. Nitrum a multis magnopere fuit laudatum, et in usu universo fuit; ob quam rationem vero reliquis dureticis anteponatur, ignoramus. An in hunc morbum plus potest, quam alia diuretica? Vel laudatur, quod urethram stimulat? Prava medendi ratia foret, solutionem nitri superficiei inflam-

inflammatae et irritabili in qualibet alia corporis parte admovere. Cur res hic aliter ſeſe habet? Id urethram ſtimulare, pro certo fere habemus, quod nitrum interne ſumptum in urina fuit detectum. Eadem propemodum, quae ſupra comprehendimus, uſui ſalium mediorum, ut purgantium in hoc morbo, objici poſſunt.

Sanguinis detractio.—Si ſigna inflammationis gravia ſunt, et aeger robuſtus eſt, ſanguinem e brachio emittere prodeſſe poteſt; hoc vero raro neceſſarium eſt, quod tenſionem partium hirudinibus, &c. tollere plerumque ſufficit. Hirudines ea cura applicentur, ut humor gonorrhoeae viroſus ad vulnera poſtea accedere non poſſit; ulcuſcula enim hoc modo aliquando progenerantur. Narcotica ad dolorem ſenſilitate diminuenda tollendum, et ad ſomnum, qui tentigine dolorifica frequenter arcetur, inducendum nonnunquam neceſſaria ſunt. De hoc vero plura dicemus, cum ad curationem tentiginis exequendam fuerit perventum.

Injectiones.—Gonorrhoea hiſce haud dubie, ſpatio temporis multo breviore quam ratione qualibet alia, ſanari poteſt. Omnia tamen eas ſpectantia attente prius conſideranda ſunt, quam iis uti incipimus; quoniam in uno morbi ſtadio forſitan nocere, in altero plurimum prodeſſe, poſſunt. Sub initium, antequam multum inflammationis ortum eſt, injectiones adſtringentes cum commodo adhibitae fuerunt, et, hoc tempore, rite uſurpari poſſe ponimus. Caeterum, inflammatione urgente, eam intendendo frequenter obeſſe videntur. I-

gitur

gitur rebus ita ſe habentibus, iis abſtineri debet. Cum inflammatio vero levata eſt, ad eas cum maximo, quod habent, commodo confugere poſſumus. Cura conſtanter eſt adhibenda, ne nimis valentes ſint; quoniam inflammationem praeſentem augere, vel recentem excitare, periclitarentur hoc modo compoſitae.

Nullum periculum, judicio noſtro, ab uſu injectionum emollientium, etiam per ſtadium inflammationis, oriri poteſt. Ardorem urinae et alia ſigna tollere videntur. Ex oleo, mucilagine, et ſimilibus conficiantur. Quae tonicae et adſtringentes ſunt, eae e ſaccharo ſaturni, opio, vitriolo albo, &c. componantur. Quandocunque adhibentur, ne nimis fortes ſint cavendum eſt. Tutiſſimum eſſe reperitur, ab admodum debili incipere, et vires ejus gradatim augere. Si multum commodi ab illis deducere ſperemus, frequentiſſime adhibeantur. Vix neceſſarium erit notare, aegrotum, antequam ad eas decurrit, ſemper urinam reddere, et penem ſuper partem affectam, ne virus in uretham longius propellatur, comprimere debere. Uſu quidem injectionum, rebus diverſis morbum comitantibus accommodatarum, aegrotus plerumque ſpatio breviore, quam ulla alia medendi via, ſanari poteſt. Medicus ſagax ſecum ſerio conſtanter reputabit, quales injectiones ſingulis morbi ſtadiis conveniant. Nunquam e memoria ei excidet, adſtringentes et tonicas, inflammatione nulla modicave ſubſtante, tuto adhibere poſſe; eaſdem vero, inflammatione non parva gravive, plerumque ancipites eſſe, immo

mo non raro manifeste nocivas. Quinctiam reminiscetur, emollientes omni fere morbi stadio, etiam inflammatione concitatiore, convenire. Hae quidem interdum nocere possunt, cum urethra eo usque inflammata est, ut apex syphonis in eam, sine multo dolore, nequeat introduci. In canalem uriniferum insinuatus multum irritationis crearet, et inflammationem igitur graviorem efficeret. Usus ejus, hanc ob causam, caveatur, penem in aquam calidam demergere, diuque ibi tenere, dolorem et inflammationem plurimum levabit.

Fomenta et *Cataplasmata*.—Haec tot tantisque laudibus ab auctoribus efferuntur, ut ea silentio praetermittere nequeamus. Nonnulli, quandocunque magna partium externarum inflammatio subest, ut ad ea decurramus suadent. Si vero nobiscum reputabimus, quomodo agant, consilio eorum non temere auscultabimus. Cum inflammatio adest, eam sine suppuratione tollere plerumque in votis est. Hoc saltem est consilium medendi generale. Sin ad fomenta et cataplasmata confugiamus, suppurationem promovere pro virili contendimus. Partes enim calidas servamus, ne materia perspirabilis per cutem transeat cavemus; exhalationi, actionem vasorum adauctam, laxitatem partium cursumque sanguinis insolitum, easdem versus faciendo, plane favemus. Si haec autem modo posita attenti diligentesque perpendamus, momento videbimus, nos, quantum in manu est, suppurationem, quam ante omnia alia cupimus vitare, movere conari. Namque in omni ex-

emplo, ubi pus formari volumus, cataplaſmata in uſum revocamus. Nonne igitur eadem adhibere rationi ſenſuique communi eſt contrarium, cum effectum longe diverſum exoptamus?

Experientia, optima duce et magiſtra, quae ad omnia inventa nova et utilia, in omnibus artibus et ſcientiis, certiſſime mortales deducit, confiſi, ut ad frigida applicata, contra, decurratur ſuademus. Ad congeſtionem tollendam faciunt, tonum vaſis conciliant, accumulationi ulteriori in parte laborante obſiſtunt, et ſenſilitatem imminuunt. Nonne cum ſummo commodo in omni inflammationis exemplo adhibentur, ubi vaſa ſanguifera non magnopere diſtenſa ſunt, puſve jam procreatum? Nonne rationi magis conſentaneum eſt, praeſidium ab applicatis frigidis et adſtringentibus, quam a calidis et relaxantibus, ſperare? E modo comprehenſis apparet, nobis eſſe perſuaſum, frigida applicata, niſi certis rebus ſubſtantibus, in omni inflammationis exemplo, ubi vaſa non jam magnopere diſtenſa ſunt, puſve formatum, in uſum revocare debere. Si unum alterumve ex hiſce incidit, fomenta vel cataplaſmata optima ſunt, ad quae confugi poteſt. Uſum horum vero omnino ſupervacaneum plerumque reddere poſſunt applicata frigida rite et tempeſtive adhibita. Nihil plus levaminis ſecum adfert, quam penem, inflammatione glandis et diſtenſione ſubſtantibus, humoribus mitibus tepidiſque, in ſemihoram uno tempore, fovere, et idem tam ſaepe repetere, quam ſigna requirent.

Regimen.

Regimen.—Per id hujus morbi ſtadium, ubi inflammatio viget, aegrotus regimen antiphlogiſticum adhibeat; cibos ſtimulantes, vinum, et alios liquores ſpirituoſos, defugiat; diaeta lactea et vegetabilibus potiſſimum victitet; exercitationem omnigenam, praeſertim equitationem, caveat; notionibus, quae ad appetitum venereum excitandum accommodantur, abſtineat; frigus vitet, et, inflammatione graviter urgente, ſemet lecto contineat, vel plerumque in poſitura horizontali, partibus in ſitu idoneo ſuſtentatis, decumbat.

Cum ſigna inflammationis levata ſunt, regimen adeo accuratum non neceſſarium eſt; intemperantia tamen omnigena fugienda. Hic notari oportet, haſce regulas non eos ſpectare, quibus vires magnopere fuerunt convulſae, quive liquores ſpirituoſos liberaliter potare aſſueti.

Quaedam e vitiis loco propriis, quae gonorrhoeam comitantur, ejuſdemve ſequelae ſunt, proxime, ſed breviter, conſideranda ſunt.

Phymoſis et *Paraphymoſis.*—Hae ſaepiſſime ab ulcuſculis circa glandem penis praeputiumve ſitis oriuntur, et plerumque ſunt poſterioris affectus inflammatorii. Non raro quoque ab inflammatione praeputii ſola, nullis ulcuſculis ſubſtantibus, proficiſcuntur.

In illa, praeputium ſuper glandem duci; in hac, glandem obtegens et conſtringens reduci nequit. Magna ſtrictura plerumque ſtipantur, et brevi, niſi haec tempeſtive fuerit ſublata, gangraena finiuntur. Huic affectui

tui eodem modo, quo aliis vitiis loco propriis, ſuccurritur. Hic potiſſimum proficiunt miſſiones ſanguinis loco propriae; applicata frigida; aliquis humor, qui minime ſtimulat, praeputium inter et glandem frequenter immiſſus. Omnia tamen conamina noſtra ſaepe fruſtrantur, et inflammatio et ſtrictura increſcunt, et gangraenam aegroto miſerando intentant. Rebus ita ſe habentibus, nihil aliud, quam ad artem chirurgicam periculi imminentis praecavendi confugere poſſumus. Ei autem efficaciter occurrit praeputium ſcalpello diviſum. Quo deformitas, quantum fieri poteſt, evitetur, haec operatio ab uno latere peragatur. Pro conſenſo habemus, neminem hanc operationem prius inſtituere conaturam eſſe, quam ſtricturam omnibus, quae in manu ſunt, removere contendit. Liquores emollientes inter glandem et praeputium ope ſyphonis ſunt injiciendi, et partes, ſi obſtructio a lympha coagulabili oriri videatur, pungendae. Hoc saepius ſemel fieri vidimus, et ſtricturam ſemper fugavit.

E caſibus quibuſdam, quos, ante pauculos annos, videndi occaſio nobis in noſocomio Liverpolienſi ſubminiſtrata eſt, hanc operationem non tam frequenter neceſſarium eſſe, quam nonnulli opinantur, non concludere non poſſumus. Namque, ſenſilitate partium per uſum frigidorum applicatorum diminuta, ſanguinem a glande, preſſura manuum, frequenter reducere, et ſtricturam, ſine multa moleſtia, removere valemus.

Inflam-

Inflammatio concitata, quae operationem excipit, saepe maximam nostram attentionem sibi vindicat. Non raro gangraena partibus divisis exitium minatur. Igitur hoc solum, si nulla alia forent, quae operationem vetarent, nos ab ea, nisi cum omnino necessaria est, et omnia, quae in auxilium constrictionis prompta esse soleant, incassum fuerunt tentata, deterre debet.

Tumor Testiculorum.—Herniam humoralem, quae gonorrhoeam comitatur, ab inflammatione urethrae adductus seminiferos usque diffusa proficisci supra posuimus. Ob partem tam delicatam inflammatione et effusione affectam, magnus dolor, calor, durities, tumor, et rubor, una cum pyrexia symptomatica violenta, oriuntur. Dolor a testiculo, secundum iter vasorum spermaticorum, semet extendit, et plerumque tam gravi urget, ut aegrotus doloribus quoque regionis lumborum gravissimis corripiatur, quibus accedunt vomitio et alia signa molesta, et e lecto tolli sustinere nequeat. Hic affectus a doloribus circa testes lancinantibus incipere consuevit, brevi postea chorda spermatica magnitudine augetur, deinde epididimis, postremo testiculus afficitur. Dum haec signa accedunt, febris non levis constanter subest. Hoc tempore partes adeo sensiles, ut tactu levissimo magnopere irritentur, evadunt, sensus ponderis percipitur, et scrotum inflammatur. Tumor in epididimide incipere consuevit, et ea nonnunquam ex toto continetur; saepius vero cum ea tum testis afficiuntur. Cum incipit, vel equidem paulo ante, plerumque pro-

fluvium

fluvium ſubito ceſſat, et non ante redit, quam gravitas hujuſce affectus praeteriit. Epididimis, in poſterum, indurata manere ſolet.

Clarus Aſtruc et alii tumorem a viro venereo ab urethra ad teſticulum tranſlato proficiſci crediderunt; ſed rationem, qua eo pervenire potuerit, nulla ex parte exponere valuerunt. Quo tempore modo comprehenſi floruerunt, eo ſyſtema lymphaticum parum intellectum fuit; et, ſi quidem penitus perſpectum fuiſſet, ad conjecturam eorum illuſtrandam non multum contuliſſet; namque e notitia ſyſtematis lymphatici, quam hodie attigimus, nobis perſuaſiſſimum habemus, hunc affectum vaſis lymphaticis viris abſorbentibus, idemque ad teſtes devehentibus, exponi non poſſe.

Alii in animum ſibi induxerunt, virus vaſa ſeminifera regurgitatione intrare. Haec opinio attentionem noſtram vix meretur, quoniam tumor teſticuli plerumque oritur, dum inflammatio urethrae gravis eſt, et dum fluxus quantitate multo minor eſt, quam aliis morbi temporibus, quibus nullum hujuſcemodi effectum edit. Inſuper eum aliquando ſubeſſe comperimus, antequam multum humoris ex urethra fuit profuſum.

Quod opinionem noſtram nempe ab irritationibus vaſorum ſeminiferorum proficiſci, non parum firmare videtur, eſt hoc, quod ſubſtantias compoſitas, quae *bougies* appellantur, in urethram ſtricturas tollendi cauſa, dum nullus fluxus ſubeſt, introductas ſubſequitur. Quinetiam

etiam operationem lateralem calculi extrahendi confilio inftitutam excipere a viro clariffimo Sharp aliifque fuit notatus. Si a viro tranflato, vel regurgitante, oriretur, corpus tefticuli primum, deinde epididimidem, et poftremo chordam fpermaticam, afficeret. Caeterum in omni fere exemplo contrarium incidere confueviffe memoravimus. Infuper irritatio affectum partium eo, in quo collocantur, ordine edere debet.

Cum hunc effectum pro inflammatorio habeamus, ei eodem modo, quo aliis inflammationibus loco propriis, nempe detractionibus fanguinis copiofis, et univerfis et topicis, laxantibus, applicatis frigidis, regimine antiphlogiftico, partes laborantes in fitu idoneo fuftentando, et in pofitura horizontali quiefcendo, fuccurri debet.

Vir ingeniofus, ut fluxum et urethra quibufdam applicatis ftimulantibus facere conaremur, nuper fuafit. Haec via medendi, quantum acceperimus, fucceffum profperrimum habuit ; namque tumor tefticuli, cum primum fluxus apparuit, fubfidere notatus eft. Emetica valentiora quoque fummis laudibus fuerunt elata, et in paucis cafibus effectos feliciffimos ediderunt. Circa initium hujus mali admodum proficere dicta fuerunt fomenta et cataplafmata ; fed hancce opinionem fundamento parum ftabili certoque inniti exiftimamus. Sub initium etenim omnis inflammationis, antequam magnus dolor a nimia diftenfione, vel a pure formato,

fuit

fuit ortus, noxae potius, quam commodo, ſint oportet, quod effuſiones adaugent, ſuppurationes, &c. promovent, quae omni ratione vitare diſcupimus. Periculum calidorum et frigidorum applicatorum fieri vidimus, et nullo omnino praejudicio abrepti aut occaecati, poſteriora optimos effectus, ubi priora per longum temporis ſpatium incaſſum fuerant adhibita, edere notavimus.

Raro in gangraenam, aliquando in ſcirrhum, ſaepe in ſuppurationem, deſinit. In omnibus gonorrhoeae exemplis, utcunque levia ſint, teſticuli faſcia ſemper debent ſuſtineri. Huic malo hac ratione ſola ſaepe feliciter occurſum fuiſſe, cauſa graviſſima non deeſt, cur nobis perſuaſum habeamus. Ante omnia alia, in poſitura horizontali conſtanter requieſcat aegrotus, et faſcia idonea partes laborantes ſuſtentet. In uſu horum continuo perſtetur neceſſe eſt, donec ſigna inflammationis vel ex toto evanuerint, vel magnopere fuerint levata.

Ulcuſcula.—Haec diverſorum generum eſſe dicuntur; ſed ejus eorum ſpeciei ſolius, quae ſaepiſſime ſemet oſtendit, mentionem injiciemus. Ulcuſcula autem ſunt ulcera admodum exigua, quae a viro venereo partibus, ubi cuticula tenuis eſt, ulceribus, ullive parti, cui cuticula abraſa eſt, admoto proficiſcuntur. Ortum eorum plerumque antecedit ſenſus pruritus, quem brevi papula exigua, colore albida, ſine multa inflammatione, excipere conſuevit. Haec magnitudine gradatim increſcit,

donec

donec ulcus progeneret apertum, quod dolor non parvus, potiſſimum ſi in praeputio ſedeat, aliquando comitatur. Superficies ejus ſpeciem ſingularem prae ſeſe fert; margines ejus tumidi et ſaepe colore albidi; fundus ejus admodum aſper et inaequalis. Denique, faciem talem habet, qualis verbis depingi nequit; ſed ſemel viſa alicui e memoria non facile excidit. Ulcus hucuſque progreſſum plerumque magnitudine raptim increſcit; alias in eodem ſtatu, in longum temporis ſpatium, manet. Bubones ab abſorptione vel irritatione frequenter oriuntur, et, quod notabile eſt, ſaepiſſime in illo latere, ubi ulcuſcula ſedent. Conſilium medendi autem eſt abſorptionem praecavere. Hoc efficaciſſime praeſtat aliquod eſcharoticum ei applicatum. Lapis infernalis huic propoſito optime accommodari videtur; namque ſi pars laborans eo leviter tantum tangatur, cicatrix, quae conſilio ſufficit, formatur. Cauſticum lunare ſummis laudibus fuit elatum; ſed, ex intervallis, rurſus rurſuſque applicetur neceſſe eſt. Igitur in morbo hujuſmodi, ubi paucae horae inaniter conſumptae aegroto periculo eſſe poſſunt, applicatum actuoſum et valens inerti ſemper anteponendum eſt. Cum ulcuſculum per breve etiam tempus manſit, ut ad mercurium, ne abſorptio incidat, confugiatur ſuademus. Cum ulcuſcula ampla ſunt, conſilium ea eſcharoticis exurendi proſequi non poſſumus. Igitur ut pars laborans aliquo fluido frequenter lavetur ſuademus. Nihil novimus,

quod

quod consilio huic melius accommodatur, quam calomelas ex aqua calcis solutum gummique Arabico suspensum. Fumigationes, e cinnabere, calomelane, &c. compositae, adhiberi debent. Nonnullis in exemplis effectus mirandos edere videntur. Nonnihil alicujus unguenti ulceri postea illinatur. E mercurio praecipitato rubro confectum quodlibet aliud forsitan exaequat. Alia genera lotionum unguentorumque alii auctores laudarunt. Multorum ex iis periculum fieri vidimus; sed nulla aeque efficacia, ac supra comprehensa, esse reperimus.

Si ulcus semet rapide diffundat, et speciem foedam habeat, cortex Peruvianus, vinum, et talia medicamenta, qualia ad ulcera serpentia cohibenda et sananda accommodantur, interne sumantur, et pars laborans liquoribus antisepticis foveatur riteque curetur.

F I N I S.